



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima

Martini, Martino

Monachii, 1658

Vigesimusquartus Imperator Kengtingus. Imperavit annis XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

quicquid agerent. Nec mirum. Ipse, quid ageret, ignorabat, libidinis mancipium; à quâ ita captus erat, ut in ætatis flore nimiam venere sibi mortem accelerarit. Sine prole decessit, imperio ad fratrem devoluto.

VIGESIMUS QUARTUS IMPERATOR K E N G T I N G U S.

Imperavit annis XXI.

Penes hunc potestas unum & viginti annos fuit. Quomodo eam habuerit, aut quid egerit, nil proditum invenio.

*Cyelo 25. anno
39. ante Chriſt.
Anno 1219.*

VIGESIMUS QUINTUS IMPERATOR. U U Y E U S.

Imperavit annis IV.

UYEUUS KENGTINGI filius, homo scelestissimus & sacrilegus idololatriam invehere voluit, & homines, ut numen, adorari. Fortè hominem quendam ignotum perinde ac vanum obviã habuit; à quo nescio quibus præstigijs delusus, ab omnibus eum velut deum sive spiritum haberi jubet. varijs artibus ad gloriam ei conciliandam usus. Inter alias hac etiam indoctæ multitudini imposuit. Homines aliquot ei convivere jussit, ac de re magicâ exquisitis rationibus cum eo certare, ut illius offucijs victi & divinum aliquid in homine suspicientes, nomen ipsius ubique celebrarent. At sæpe risum potiùs præstigator, quàm laudem tulit. Quippe non modò nihil divinum, sed nec mediocris in eo sagacitas erat. Identidem igitur à vero deerrans & victus ipse, Imperatori stomachum movit, tam longè à destinatione suâ se lapsum frementi. Nec diu factum; quâ levitate hominem deum putarat, eadem abjectum, & probris omnibus maledictisque vexatum interfecit. Iram deinde in cælum vertit, ut à deo suo aversum, sagittis ipsum petens. Atque ut sauciâ crederetur spiritus cælestes, saccos tres penetrabiles rubro liquore plenos suspen-

*Cyelo 25. anno
60. ante Chriſt.
Anno 1198.*

Cælum sagittis petitum.